







PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXXIX.

De

RESURRE-
CTIONE MOR-
TVORVM, ET FINE
hujus Mundi.

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

M. JOHANNE COTZIBUVIO
Magdeburgensi.

Ad diem 28. Decembr.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.





Reverendis & Clarissimis Viris,

(DAVIDI LAURENTIO.
D. M. CHRISTIANO VOGLERO.
ARONI BURCHARDO.

**Ecclesiae Patriae mystis ac Pastoribus
fidelissimis, dignis. Patronis & fautoribus
suis dicat, ac inscribit.**

*M. Iohannes Cotzibuvius
Magdeb.*

M. IOHANNES COTZIBUVIUS
Magd. p. 1611.
Abbas & Decanus
Superioris Clericatus Bergii
Bibliotheca Wittenbergensis.

N. W. O. 1611.



TYPVS HVIVS DISPVS
TATIONIS.

Derivatio:

1. Vocem:

ubi duo re-
menda

Potestas
qua vel

Propria

Generalis.

Specialis.

Figurata: μετωνυμικα.
qua vel κα-
τα καταφορα.

De resurrectione ipsa: Vbi consideramus

2. Rem
ipsam: qua
explicat

Questio An sit: pro-
batur partem

In genere ex scriptura.

In specie argumentis
Pauli.

Generalis definitio

Questio
Quid sit:
quam ex-
plicat

Particularem antecedentem.

Divisio

Universalem consequen-
tem: cuius

1. Ponitur definitio.

Efficiens.

Finis.

2. Resol-
vitur per
causas:
que

partim

partim

Materia.

Forma.

De proximo consequente.

Restat nunc ut agamus





DISPUTATIO XXXIX.

De

Resurrectione mortuorum & fine
hujus mundi.

CONTINUATIO.

DE morte, sepultura corporis, & statu animarum egimus disputatione proximè precedente: Consequens nunc est, ut ad resurrectionem mortuorum, ejusq; proximum *ἡ ἀνάστασις*, siue consequens progrediamur.

Thesis I.

DE resurrectione igitur acturi, considerabimus primum vocem: Deinde rem ipsam.

2. Circa vocem duo dantur observanda: Derivatio & Potestas.

3. Resurrectio Hebræis est Thechijath vel Thekumahammethim. Græcis *Ἀνάστασις* dicitur quasi *ἔκλυται τὸ πτωχότος σάσις*: *ἠδὲ τὸ ἀνά*, quod Re & Sursum in compositione notat: & *ἰσχυρά*, quod est *sto*.

Resurrectionis potestas duplex.

4. Est igitur potestas, siue significatio verbi hujus propria & figurata,

5. Pro-

5. Propria vel est generalis, & opponitur casui, qui enim cecidit, propriè resurgere dicitur: Vel specialis: Et significat corporum reditum, sive restitutionem à morte ad vitam. In quâ potestate & significatione hoc loco accipitur.

6. Figurata est, vel *κατὰ μετωνυμίαν*: vel *κατὰ μεταφοράν*.

7. *κατὰ μετωνυμίαν* vitam immortalem significat Philip. 11.

8. *κατὰ μεταφοράν* significat primum liberationem à periculis: quibus per eandem figuram mortis vox tribuitur. 2. Cor. 1. v. 10. 11. Item 4. v. 24. Deinde resurrectionem spirituales, quæ est animarum *παλιγγενεσία*, & fit dum à peccatis resurgimus, ut iusticiâ vivamus. De hac loquitur Paulus Coloss. 3. v. 1. *Si resurrexeritis cum Christo, superna querite.* Apocal. 20. *Prima resurrectio* dicitur, in qua qui partem habuerunt, secunda mors in eos potestatem non habebit. Hæc de voce.

9. Rem ipsam explicat partim quæstio An sit: partim quæstio; Quid sit.

10. Quæstio An sit probatur partim in genere ex S. Scriptura: partim in specie argumentis Apostoli Pauli. *An sit resurrectio*

11. In genere Resurrectio mortuorum hisce probatur *mortuorum* scripturæ testimoniis Job. 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum: Et vicissim: Circa cum dabo hac pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum meum.* Esa. 26. v. 19. *Vivent mortui tui, & cum cadavere resurgent: Expergiscimini & letamini, qui habitatis in pulvere: quia ros tuus erit ros pratorum, & terra mortuos eijciet.* Et cap. 66. v. 14. *Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi verba germinabunt,* Ezech. 37. v. 12. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.* Dan. 12. v. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terra pulvere evigilabunt.*

12. Idem quoq; in Novo Testamento luculenter docet ipse Christus, Joh. 5. v. 28. *Venit hora in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

A 3

Item,

Item Johan. 6. vers. 40. inquit idem Christus: Ego resuscitabo eum in novissimo die. Et Iohan. 11. vers. 25. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et Matth. 22. v. 31. 32. Marci 12. v. 26. Luc. 20. v. 37. De Resurrectione mortuorum non legisti, quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est autem Deus mortuorum, sed viventium: omnes enim vivunt ei. Conferatur locus Johan. 12.

13. Imò capta est resurrectio hæc Christi tempore, totiq; Ecclesiæ exempla resurrectionis monstrata sunt. Non enim Christus duntaxat resuscitat defunctam puellam, Matth. 9. viduæ filium Luc. 7. Lazarum, qui dies penè quatuor in sepulchro mortuus jacuerat, Iob. 11. Sed ipso in cruce defuncto statim monumenta aperiuntur, prodeuntq; inde multa sanctorum corpora, ac post Christi resurrectionem se patefaciunt plurimis: Et Christus ipse tertio die à mortuis resurgit, posteaq; unà cum sanctis illis resuscitatis integros quadraginta dies cum credentibus commoratur & suavissimè conversatur.

14. Apostolus Paulus credentibus confirmat articulum Resurrectionis. i. prædicatione Evangelij. 1. Cor. 15. v. 1. & seqq. ii. Similitudine, exemplo, communionem, virtute & certitudine resurrectionis Christi ibid. vers. 3. 4. 5. 11. 12. 13. v. Thess. 4. v. 14. iii. Ab oppositis, 1. Cor. 15. v. 21. 22. Quemadmodum per Adam omnes moriuntur: Ita & per Christum omnes vivificabuntur. iv. Potentia Christi Salvatoris Phil. 3. v. 20. 21. Nam nostrum *παλιτεύμα* in cælis est, ex quo & Servatorem expectamus, Dominum Iesum Christum: Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso secundum efficaciam, qua potest etiam subicere sibi omnia. v. A toto ad partem: omnes hostes victi subicientur Christo: Ergò & mors, & per consequens mortui resurgent, 1. Cor. 15. v. 25. & 26. vi. Ab Absurdo: Si non est resurrectio, ne Christus quidem resurrexit, ibid. v. 13. 16. Inanis est prædicatio Evangelij, v. 14. Inanis est fides nostra, ibid. Falsi sunt testes Apostoli, vers. 15. Christiani omnium hominum miserissimi sunt, v. 19. Frustra nonnulli

nonnulli baptizantur supra mortuis, vers. 29. Stultus quoque Paulus, qui toties pro ea periclitatur, v. 3. Locum etiam habebit sententia Epicureorum, qui dicunt:

Eude, bibas, comedas, post mortem nulla voluptas, v. 32.

Verum isthæc omnia absurdissima sunt Christianis: Resurrectio igitur futura est.

15. Quæritur hæc, an Philosophiis argumentis demonstrari possit Resurrectio mortuorum. Uti semper, ita adhuc & quidem hoc loco negativam tuemur: i. Quia plerisque philosophis ridicula visa est, crediturque difficilis, ac Festo præfidi insania, Act. 17. v. 18. 20. & 26. v. 24. ii. Quia etiam quibusdam in Judaico populo absurda est visa, Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 6. Quia & ipsius Christianæ Ecclesiæ primordia & cunabula non leviter in hoc capite perturbavit Satan. I. Cor. 15. v. 12. & seqq. 2. Tim. 2. v. 18. iii. Quia & causa & modus hujus resurrectionis supernaturalis est, & totam naturæ vim ac efficaciam transcendit. iv. Quia quæ spiritualiter creduntur, naturaliter non sciuntur: cum fides sit rerum non apparentium argumentum, Hebr. 11. v. 1.

16. Negari tamen non potest, dari nonnulla satis apparenter efficacia argumenta: quæ tamen si diligentius excutiantur & rerum natura spectetur, probabilia duntaxat sunt, non autem necessaria.

17. Talia argumenta sunt. I. Sumitur à similibus & signis in naturâ expressis. i. singulariter in phœnice, ave Arabiæ, de qua referunt, quod senescens surculis thuris, quibus nidum replevit, velut rogo imposita, & in cineres redacta, mox post cœlestem irrigationem, viva prodeat. ii. In multis aliis aviculis, quæ hyberno tempore in profundis stagnis & paludibus, aliisque locis, quasi sepultæ jacent, verno verò tempore, quando Sol ad nos redit redammantur, & vivæ prodeunt. iii. In arboribus, quæ hyeme omni carent ornatu, velut mortuæ: æstate verò reviviscunt, Joh. 14. vers. 7. iv. A Semine: quod quando

An argumentis
philosophicis
Resurrectio
mortuorum
probari
possit.

interi-

in terram conjicitur, mortuum est: postea verò vivificatur,
1. Cor. 15. v. 36. Et similibus, ut in vicissitudinibus, occasus &
ortus solis: noctis & diei; somni & vigiliæ, laboris &
quietis.

18. *Secundum sumitur à proprio hominis, & est D. Lutheri
in Gen. c. 1. p. 10. a.* Quæcunq; creatura in cognitione natu-
ræ naturaliter exercetur, motum cœli intelligit, cœlestia
corpora metitur; illa non est condita, ut tantum in hac infi-
mâ orbis parte vivat: sed ut cœlum possideat, & vitâ æter-
nâ fruatur: At solus homo (non vacca, non canis, non
sus &c.) naturaliter in cognitione naturæ exercetur, mo-
tum cœli intelligit, cœlestia corpora metitur: Ergò solus
homo (non vacca &c. non est conditus, ut tantum in infimâ
hac orbis parte vivat: sed ut cœlum possideat, & vitâ æternâ
fruatur: At cœlum possidere, & vitâ æternâ frui nequit, nisi
resurgat: Ergò resurrectio mortuorum futura esse vide-
tur:

19. III. *A conditione anime post separationem.* Quod imper-
fectum est, non videtur capax absolutæ felicitatis: At ani-
ma, à corpore separata, est imperfecta: quia in statu imper-
fecto existit: Ergo non videtur capax perfectæ felicitatis: Et
per consequens ad felicitatem illam denudò corpori suo con-
jungenda.

20. IV. *A statu anime post separationem:* Quod est contra na-
turam, & violentum, id non est perpetuum: At animam se-
paratam esse à corpore, est contra ejus naturam, atq; violen-
tum: Quia est corporis organici ἐντελέχεια & forma, quæ
contra naturam extra materiam est & subsistit: Ideoq; corpus
proprium rursus induere gestit: Ergò ita perpetuò existere
nequit: Sed quia immortalis est, iterum cum corpore con-
jungenda.

21. V. *A testimonio conscientie de præmijs bonorum, ac malorum
pœnis:* quod maximè jam imminente morte sentiunt tam im-
pij, quorum conscientia magis torquetur cogitatione vitæ,
malè transactæ: quàm pij, qui in Spiritu vehementer exul-
tant: quod tandem per mortem ad quietem perveniant.

22. VI. A

22. VI. *A iusticia Dei*: Iusti in hac vitâ penuriâ affliguntur, injuriis afficiuntur, & omni carent præsidio, Impiis interim florentibus, omnibus divitiis affluentibus: Quod sanè alienum à Dei iusticiâ & æquitate videretur, nisi alia restaret vita, aliud iudicium, alia præmiorum pœnarumq; distributio. Quod argumentum est Damasceni *lib. 4. de fid. orth. cap. 28.* Idemq; multis inculcat Athanagoras in oratione de Resurrectione carnis.

23. Verum ut diximus probabilia tantùm ejusmodi sunt argumenta: quibus quidem adversarium extremè Atheum confundere possumus, cogere verò, ut nobiscum sentiat non possumus: cum id in mundanis efficiat sola demonstratio: In divinis sola Fides. Quia igitur illa in articulis fidei dari nequit, in hac tutò quiescimus, & cum Catholicâ Ecclesiâ credimus, certè futuram esse resurrectionem mortuorum. Atq; hætenus de quæstione, An sit.

24. Quæstionem quid sit explicat generalis descriptio: & subsequens divisio.

25. Generalem descriptionem talem damus: Resurrectio mortuorum est iterata animæ & corporis conjunctio, omnipotentis Dei virtute facta.

26. Dividitur illa in particularem antecedentem, & universalem consequentem, sive finalem.

27. Illa est singulorum hominum: cujusq; exempla exstant partim in veteri, partim in novo Testamento.

28. In Veteri exempla sunt. I. Filij viduæ Sareptanæ ab Elia excitati, *1. Reg. 18. v. 22.* II. Filij mulieris Sunamitidis ab Elisæo resuscitati *2. Reg. 4. v. 32.* III. Hominis ad contactum ossium Elisæi, in sepulchro jacentium, excitati, *2. Reg. 13. v. 21.*

29. In Novo exempla sunt: I. Filix Iairi *Matth. 9. v. 25.* II. Filij unigeniti viduæ in Naim, *Luc. 7. v. 15.* III. Lazari Bethanionensis, *Ioh. 11. v. 43.* IV. Ipsius Christi, *Matth. 28. vers. 6.* Cujus resurrectio nostræ est fundamentum, *1. Cor. 15. 16, 20.* Ideoq; meritò summum obtinet locum. V. Sanctorum, qui cum Christo resurrexerunt, *Matth. 27. v. 52, 53.* VI. Tabithæ

B

Joppensis,

*Quid sit
resurrectio
mortuorum.
Divisio
generalis.*

*Resurrectio
particularis.*

Joppensis, jussu Petri in vitam revocata, Act. 9. v. 40. vii.
Eutychi a Paulo suscitati, Act. 20. v. 10.

Resurre-
ctio uni-
versalis.

30. Resurrectio universalis, sive finalis illa est, quam nemo effugiet, quamq; in symbolo profiteamur his ipsis verbis: *Credo carnis resurrectionem*: Et quæ in novissimum diem reservatur, Ioh. 14. v. 12. Atq; de hac ipsa resurrectione hoc loco principaliter agimus.

31. Quam definitivè considerabimus: Definitionem ejus proponendo & resolvendo.

Resurre-
ctio mor-
tuorum
universalis
quid.

32. Est igitur resurrectio mortuorum universalis, quæ in novissimo die, nobis incognito, omnes mortui, tam pii, quam impij, licet dudum in pulverem redacti, per Christum cum sanctis suis & multis millibus angelorum, cum clamore & tonitru maximo in voce Archangeli, & tuba Dei in nubibus eadem, quæ in cælos descendit, visibili formâ ventrum, resuscitati, unione corporum & animarum instaurata & mortalitate dempta, in vitam redibunt: superstitēs verò in momento immutabuntur, ut ita morte victa, integri homines immortales facti coram tribunali Dei sistantur, perpetuoq; vivant, alij in gloria, alij in pœnis, pro ratione vitæ antea actæ.

Avélev-
ois defi-
nitionis.
1. Causa
efficiens.

33. Definitio causalis est: Commodè igitur in suas causas resolvitur: quæ partim efficiens & Finis: Partim Materia & Forma.

34. Causa efficiens propriè dicta & principalis est ipse Christus, neq; enim opus tam arduum, & totius creaturæ vires longissimè superans, alij, quàm naturæ auctori, tribui potest. Probatür causa hæc manifestis scripturæ testimoniis. Ioh. 6. v. 39. inquit Christus: *ego resuscitabo eum in novissimo die*: Quod de toto Christo, Deo ac homine, accipiendum esse monet antithesis D. Pauli I. Cor. 15. v. 21. *Per unum hominem mors, &c. Ioh. 5. vers. 25. Qui mortui sunt, & qui in monumentis, audient vocem filij Dei, & procedent.* Sic Joh. 11. vers. 25. *Ego sum resurrectio & vita, hoc est, ego resuscito homines, & vitam impertio.* Idem etiam declaravit exemplis, suscitans plures

plures homines, eo tempore, quò ministerio suo hisce in-
terris fungebatur.

35. Quando verò filium Dei resurrectionis causam
asserimus, reliquas Sanctæ Trinitatis personas non excludi-
mus, sed includimus. Quemadmodum enim omnia reliqua
Trinitatis opera ad extra, sic etiam hoc ipsum indivisum
est.

36. Hinc passim in scripturis opus hoc in genere Deo
attribuitur. Rom. 8. vers. 11. *Is, qui excitavit Christum ex mor-
tuis, vivificabit & corpora mortalia vestra,* 1. Cor. 6. v. 14. *Deus &
Dominum suscitavit & nos suscitabit per potentiam suam.* 2. Cor. 1.
v. 10. *Ne consideremus in nobis, sed in Deo, qui ad vitam resuscitat
mortuos,* 1. Thess. 4. v. 14. *Deus eos, qui obdormierunt per Chri-
stum adducet cum illo.* 1. Timoth. 6. v. 13. *Præcipio tibi in conspe-
ctu Dei, qui vivificat omnia.*

37. In specie verò, & quidem expressè Deo patri tribuitur
Iohan. 5. vers. 21. *Pater suscitavit mortuos & vivificat.* Item dictum
jam allegatum ex Epist. ad Rom. cap. 8. v. 11. de Deo patre lo-
quitur.

38. Tertiæ quoq; personæ opus hoc tribuitur Ezech. 37.
v. 12. *Hec dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, &
educam vos de sepulchris vestris. Et dabo SPIRITVM MEVM in vo-
bis, ut vivatis.* Item Rom. 8. vers. 11. *Vivificabit etiam morta-
lia corpora vestra, propterea quod SPIRITVS EIVS habitet in
vobis.*

39. Instrumentalis causa est ministerium Angelorum,
quod per clangorem tubæ sacra scriptura describit. 1. Thess. 4.
v. 16. Matth. 24. v. 30. 1. Cor. 4. v. 16.

Instru-
mentaliter
causa.
Finis.

60. Finis externus est gloria Dei: Internus Salus & vita
piorum: exitium & mors immortalis impiorum. Dan. 12.
v. 2. Iob. 5. v. 29.

61. Materiæ rationem hic habent, sive subjectum
constituunt omnes homines: Ioh. 5. vers. 28. *Omnes, qui
in monumentis sunt, audient vocem filij Dei & procedent.*

Materia.

Resurre-
ctio du-
plex.

42. Materix sive subjecti ratione resurrectio est du-
plex: Alia justorum, alia injustorum. Act. 24. v. 14. Credo
omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, fo-
re, quam etsiam hi ipsi expectant, resurrectionem iustorum & iniu-
storum.

43. Et notandum, quod utriusq; resurrectionis causa sit
Deus, tam hujus, quæ impiorum, quàm illius, quæ piorum
est: Verum non modo eodem.

44. Resurrectio enim piorum à Christi ἀνάστασις pen-
det, tanquam à causa efficiente, quæ præstat, ut & hi, qui in
Christo sunt, aliquando ad immortalem, & beatam vitam
reviviscant. Atq; hinc Apostolus 1. Cor. 15. ἀποδεικνύωσ argumentatur hunc in modum. Cujus totius caput resurrexit;
ejus etiam membra resurgent: Atqui Ecclesiæ totius caput,
Christus, resurrexit: Ergo etiam omnes nos, qui illius mem-
bra sumus, resurgemus.

45. Quod quidem argumentum non procedit contra
naturam Logices à particulari ad universale: Sed ubique
& formæ & materix respectu illatio ab universali pro-
cedit.

46. Quoad formam enim, Syllogismus in primâ figu-
râ concludit: illam verò progredi ab universali, non à parti-
culari, pueri sciunt in Trivio: Materiam quod attinet: est
hic processus à totali & universali causa ad proprium & im-
mediatum effectum: Qui processus demonstrativus est: &
particularem rationem nullo modo habere potest.

47. Resurrectio verò impiorum ad mortem æternam,
Christi merito, vel ejus resurrectioni, adscribi nequit cau-
saliter: 1. Quia Christus resurrexit propter justificationem
nostri; non propter condemnationem: 2. Quia Impij isti,
neq; mortis, neq; resurrectionis Christi fuerunt unquam
participes. Quocirca hæc infelix illorum resuscitatio futu-
ra nihilominus erat ex inenarrabili decreto Dei, si vel maxi-
mè Christus, neq; passus fuisset, neq; resuscitatus. Videatur
D. Hunnius in 1. ad Corinth. 6. 15. part. 1. in expl. texti.

48. For-

48. Forma deniq; duplex est: *Interna & Externa.*

Forma.

49. Forma interna spectatur aut in reductæ animæ cum restituito corpore copulatione & unione, partim naturali, partim personali: ut per hanc constituatur unum suppositum, & unus homo, per illam una natura humana: aut in eorum, quos vivos deprehenderit posterior ille Christi adventus immutatione, quæ id, quod corruptioni ac morti obnoxium est, naturam induet incorruptam, & immortalam, 1. Cor. 15. v. 50.

Interna.

50. Quæritur hic primum: *An eadem numero corpora, an verò nova resurgens?* Eadem ipsa numero, & quidem integra. I. Quia (Psalm. 34. v. 20.) custodit Dominus omnia ossa sanctorum, Et pilus capitis vasti non peribit Luc. 20. v. 18. Conferatur Iobus c. 19. v. 25. II. Quia unusquisq; reportabit in corpore sive bonum, sive malum, quod fecit, 2. Cor. 5. vers. 10. III. Quia fidelium corpora sibi in templa dicavit Deus noster, 1. Cor. 3. v. 16. 17. c. 6. v. 15. 19. IV. Quia oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem 1. Cor. 15. v. Quia Impiorum corpora debent puniri in gehenna, Matth. 10. v. 28. VI. Quia omnes illi, qui in monumentis sunt vocem filij Dei audient Ioh. 5. v. 28. VII. Quia idem Christi corpus, quod sepultum fuit, etiam resurrexit & prodijt ex sepulchro.

I. An eadem numero corpora resurgent.

51. Deinde quæritur: *Qualia futura sint resuscitatorum corpora.* Id jam dictum est: Erunt incorruptibilia, & immortalia nunquam à suis animis separanda. Atq; hoc commune erit cum impiorum, tum piorum corporibus.

II. Qualia resuscitata corpora.

52. Peculiares autem conditiones, quibus partim à corporibus hujus vitæ vanitatibus ac sordibus subjectis, partim etiam à damnatorum, distinguuntur; numerantur ferè hæ tres: Quod futura sint 1. gloriosa. Inenarrabili enim decore & gloriâ exornabuntur. 2. Potentia, nempe à priore imbecillitate libera: non indigebunt amplius cibo, potu, somno, & id genus aliis præsiidiis. 3. Spiritualia: non quò ad essentiam. Quandoquidem manebunt illa corpora, ex elementis suis constituta, etiam quò ad dimensiones, & quo ad pondus

aus vel gravitatem: Verum ista non amplius vel quò ad motum sursum vel deorsum, vel etiam quò ad penetrationem per alia corpora erunt impedimento. Quandoquidem corpora illa resuscitata, unà cum animà longe excellentiore virtute prædita & exornata erunt à Christo, quàm ante fuerunt ex Adamo.

53. Conditions has breviter complectitur Apostolus Paulus I. Cor. 15. v. 42. *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione: Seminatur in ignominia, resurget in gloria: Seminatur in infirmitate, resurget in potentia: Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Sicut portavimus imaginem terrenis Adami, ita portabimus imaginem celestis Adami.* Et Philip. 3. inquit idem Apostolus: *Iesus Christus, Salvator noster, quem de caelo expectamus, transformabit corpus nostrum humile, ut corpori ipsius glorioso conforme fiat.*

54. Verum longè erit alia ratio corporum impiorum: Immortalia quidem & ipsa, uti diximus: Verum nulla gloria, nullo honore, nulla exoptatà potentia, vel spirituali excellentia exornata: sed (verba sunt Hassenrefferi) perpetuà ignominia & fœditate damnata: quibus idipsum, quod incorruptibile habebunt nulli felicitati, sed nunquam determinandis doloribus & cruciatibus cedit: juxta illud Matth. 25. vers. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui diabolo & angelis eius paratus est.*

xii. Ancora
pora que
hic fuerunt
mutata,
post resur-
rectionem
futura fiat
perfecta.

55. Tertiò quæritur: *An resuscitati omnia membra organica sint habituri, etiamsi hic quibusdam caruerunt.*

56. De beatis affirmativè respondendum esse putamus. 1. Quia beatus est, qui habet, quicquid vult: non autem potest non cupere integritatem, idq; sine *ἀνάγκη*. 2. Quia quod in primigenià institutione integrè accepit homo, id multò magis integrum accipiet in gloriosa illa restitutione.

57. Con-

57. Contrarium statuendum videtur de reprobis: Cur enim istis illa, quibus hic caruerunt, restituenda sint, nulla apparet causa. Imò potius ita inferendum: Quemadmodum electis nihil omnino est adimendum, quod ad ipsorum felicitatem & gloriam pertinet: Ita quoque nihil est tribuendum reprobis, quod illorum miseriam ac ignominiam minuat.

58. Quartò quaeritur de quantitate & mole corporis: *An omnia An omnes ex aquo resurrecturi eâ staturâ, ad quam natura, ubi non aberrat, corpora hic solet producere ev αὐτῶν.* *corporare- surgent in*

59. Pleriq; affirmant & probant testimonio Apostoli Eph. 4. *perfecta* *quanti-*
v. 13. 14. Verùm, ut dicamus, uti res est, locus iste in alienum *tate:*
sensum abripitur. Concinnius foret, illud ex *πεωρεκτισίας*
analogia probabiliter asserere.

60. Forma externa continet modum sive ordinem re- *Forma*
surrectionis: & circumstantiam temporis. *externa*

61. Modus & ordo resurrectionis describitur Iohán. 5. *1. Cor. 15. 1. Th ss. 4.* nempe Dominus noster Christus Jesus, Dei ac hominis filius, cum dies novissimus illuxerit (ingenti fragore toto hoc universo per ignem transeunte) in assumpta humana natura visibiliter veniet in nubibus, stipatus multis angelorum millibus, cum clamore & maxima voce Archangeli, & tuba Dei, atq; tunc mortui, vocem filij Dei exaudientes, subito suo quisq; corpore resurgent primum: Et deinde qui vivi reperientur, in momento immutabuntur, ut immortalitatem induant, & simul cum mortuis resuscitatis rapiuntur ad tribunal filij Dei judicis, ut omnes de factis proprijs rationem reddant. Nos inquit, Paulus *1. Thess. 4. v. 15. qui vivemus, & residui erimus in adventu Domini, non preveniemus eos, qui obdormiverunt: sed mortui in Christo resurgent primum: Deinde nos, qui vivemus & residui erimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus.*

62. Ciri

62. Circumstantiam temporis quod attinet, nemo id hac in vita determinabit. Quod ipsemet Christus testatur Matth. 24. vers. 36. De die autem illo & hora, nemo scit, neque angeli quidem caelorum: sed pater meus solus: & Actor. 1. vers. 7. legimus: Non est vestrum scire tempora & momenta, quae Deus in sua potestate posita esse voluit.

63. Hoc nihilominus scimus, quod futura sit resurrectio mortuorum in die novissimo. Deus enim decrevit omnes mortuos in die consumationis hujus seculi una cum corporibus suis resuscitare & vivificare. Iohan. 6. vers. 40. 1. Thess. 4. v. 15.

Mundus
habet
finem.

64. Unde colligitur ejusmodi *ἀόριστος*: sicut mundus initium habuit, ita quoque habiturus est finem.

65. Id supra in loco de creatione Disp. 3. est demonstratum: Hoc expressis quoque sacrae scripturae literis est manifestum Psal. 102. vers. 26. *Initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli: IPSI PERIBVNT, tu autem manes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut indumentum mutabit eos: Tu autem es ipse, & anni tui non deficient. Esa. 51. vers. 6. Caeli sicut fumus dissolventur, & terra sicut vestimentum putrescet. Luc. 21. vers. 33. Caelum & terra transibunt; Verba autem mea non transibunt, 1. Iohan. 2. v. 17. Mundus transit & concupiscentia eius.*

66. Constat igitur mundum interiturum: sed quando & quomodo.

Quando
mundus
interibit.

67. Quod de Resurrectione mortuorum diximus, illud etiam hoc loco verum est, diem nempe & horam mundi interitus definire neminem posse: Veruntamen in propinquo eum esse, certis scripturae testimonis, & signis, quae praecedere debebant, haud obscure patet.

68. Testimoniis scripturae: Ut 1. Per. 4. vers. 7. *Omni-um finis appropinquavit: Estote igitur temperantes & sobrii ad orationes.* Et Propheta Daniel cap. 2. Visionem regis de quatuor Monarchiis interpretatur: quarum
ultima

ultima est hæc Romana. Quia igitur nulla amplius in hoc mundo est expectanda, sequitur, finem hujus seculi non procul abesse.

69. Signa quod attinet; illorum multa ac varia Christus & Apostoli annotarunt, *Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Act. 2. 2. Thess. 2. 3. 2. Pet. 3. Iob. 2. Apoc. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 20.* Quorum tamen nonnulla etiam excidio Hierosolymitano congruebant. Sunt autem hæc ferè.

I. Doctrinæ de Christo per falsos doctores adulteratio & seductio.

II. Bella, rumores bellorum, seditiones, & regnorum quassationes, mutationesq;

III. Pestis horrenda.

IV. Fames miseranda.

V. Terræ motus ingentes.

VI. Persecutiones piorum hominum, & doctorum Ecclesiæ: *Tradent vos, inquit Christus, in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.*

VII. Offensiones multorum, qui moti persecutionibus à verâ doctrina deficient.

VIII. *Ασοπυία*, perfidia, crudelitas, & similia scelera pugnantia cum dilectione proximi.

IX. Manifestæ Idiomanix in Ecclesiâ.

X. Horrendæ Eclipses Solis & Lunæ.

XI. Species stellarum inusitatæ, chasmata.

XII. Cometæ, & alia meteora, irides mirificæ, diurnæ & nocturnæ.

XIII. Inusitatæ tempestates, vehementesq; ventorum flatus.

XIV. Æstus maris horribiles: Inundationes subitæ & terribiles.

XV. Totius machinæ mundi, & cum primis cælorum concussio & dissolutio, minitans celerem interitum.

XVI. Animorum consternationes, pavores, & terrores.

C

XVII, Cra-

XVII. Crapula & luxuries quotidiana, tetrae confusiones libidinum, avaritia inexplebilis, securitas carnalis, Epicureismus, & contemptus Dei, & corruptissimi hominum mores in omnibus ordinibus.

XVIII. Revelatio Antichristi, quae facta est nostra aetate per lucem Evangelij ministerio Sancti patris Lutheri restituta. Et quemadmodum Christus spiritu oris sui illum perdere coepit: ita adventus sui claritate ipsum profus abolebit, & in ignem infernalem ac aeternum cum omnibus Diabolis praecipitabit.

Quomodo
mundus
interibit.

70. Tandem quomodo mundus sit interiturus, id expressè in sacra scriptura determinatur & explicatur, nempe per ignem, idq; subito & in momento praeter opinionem & expectationem maximae multitudinis hominum. 2. Pet. 3. v. 7.

Qui verò nunc sint caeli ac terra, eodem sermone repositi, serventur igni in diem damnationis & exitij impiorum hominum, Ibid. v. 12.

Caeli ardentis solventur, & elementa ignis ardore liquefcent. Matth.

24. v. 44. Propterea & vos estote parati, quia, quâ horâ non putatis, filius hominis venturus est. 1. Thess. 5. vers. 2. Dies Domini venturus est sicut fur in nocte. Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus sicut dolores mulierum parturientium. 2. Pet. 3. v. 10. Luc. 21. v. 35. Tanquam laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.

Errores.

1.

71. Tandem errores hinc fugiendi sunt: 1. Sadducæorum, qui resurrectionem carnis in Ecclesia Judaicâ, & Simonianorum, Marcitarum, Ophitarum, Bardesanistarum, Heraclitarum, Seleucianorum & aliorum, qui in Ecclesia Christiana, carnis resurrectionem negarunt.

2.

72. Hymenæi, Phileti & Menandrianorum, qui nullam crediderunt resurrectionem, nisi spirituales, quae fiat per conversionem à peccatis.

3.

73. Carpocratianorum, Basilidianorum, Manichæorum, Marcionitarum, Gnosticorum, qui doctrinam Christi de resurrectione mortuorum in pythagoream *μετεμψύχων* converterunt.

74. Davi



74. Davidis Kimehi, qui resurrectionem tantum ad 4.
Justos pertinere statuebat.
75. Tertullianistarum, qui impiorum animas in substan- 5.
tiam & naturam Cacodæmonum transire sentiebant.
76. Aristotelis, qui mundum & initij & finis ratione 6.
æternum esse putavit.
77. Illuſorum & Epicureorum, qui cœlestem doctri- 7.
nam de Mundi fine rident.

F I N I S.



Davidis Nihil...
Iulio...
Tertius...
Iam...
Ad...
Istorum...
Iulianus & Episcopus...
nam de...
24
25
26
27
28
29
30

F I N I S



99 A 6935


ULB Halle 3
005 360 463



TA → OC







39



PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXXIX.
De
RESURRE-
CTIONE MOR-
TIVORVM, ET FINE
hujus Mundi.
In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita
PRÆSIDE
M. IACOBO MARTINI
Professore publico:
Respondente
M. JOHANNE COTZIBUVIO
Magdeburgensi.
Ad diem 28. Decembr.
Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

